



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 88. Maurorum Hispaniam incolentium perfidia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. iustrentur, & si quos ejusmodi libros  
 A. C. 1610. repererint, illos publice comburant, in-  
 flicta illis, qui ejusmodi libellos attu-  
 lerint, pœna arbitraria, eos vero, qui  
 clam tales tractatus, vel cantile-  
 nas invexerint, flagris cædi, perpetuo  
 proscribi, & si reversi fuerint, suspen-  
 dio plecti jubebat, Parochis quoque &  
 Concionatoribus injungens, ut Audi-  
 tores suos serio ab ejusmodi contagio-  
 sis libellis legendis absterreant. Ceterum  
 quam necessaria fuerit ejusmodi edicti  
 severitas, Lector ex præsentium tem-  
 porum iniquitate dispiciet.

## §. LXXXVIII.

*Maurorum Hispaniam incolentium  
 perfidia.*

*Ferreiras*  
*hist. Hisp.*  
*cont. t. II.*  
*cap. 2.*  
*Calmet Hist.*  
*Univerf.*  
*lib. 153.*

Jam sæculo octavo Mauri seu Africæ  
 Mahometani Hispaniam invaserant,  
 quos tandem Ferdinandus Rex Catho-  
 licus, Granata in suam potestatem red-  
 acta, suo subdebat imperio, sub quota-  
 men illi, qui in Hispaniis remanserant,  
 nonnisi armorum vi tanquam mancipia  
 contineri poterant: cum autem pro-  
 gressu temporis nec fidelitatis suo Regi  
 juratæ religio, nec fidei Catholicæ  
 sanctitas, quam mala fide susceptam  
 coacti profitebantur, illos a perfidis ab-  
 sterreret consiliis, hinc pristinæ liber-  
 tatis

tatis avidi, Sacraeque Inquisitionis vigilantiam pertæsi ad Mahometis superstitionem cordibus eorum implantatam excusso jugo reverti sæpius tentabant. Eruperant etiam jam dudum, & adhuc indies invalescebant haud obscura clandestini cum Turcis consilii indicia: insolitis quoque lætitiæ signis excipiebant damna annue Hispanis illata ab Algerianis & Tunetanis Piratis, quibus sedulo Hispanarum navium adventus prodebat: Præter Mauros & Britannos insuper Henricum IV. Franciæ Regem, missis ad eum Deputatis, in Regis sui ejusque Regnorum interitum sollicitabant, ac denique, quod rei caput erat, sacrilega temeritate fidem ac quævis sacra profanabant: Templum enim, & Sacramenta externo ritu frequentantes, domi interiusque Mahometis legem colebant, prolesque suas Aquâ lustrali tinctas aut circumcidebant, aut subdole Baptismo subtrahebant: Sumpta quoque Sacra Synaxi Hostiam ore extractam domi horrendum in modum violabant; non pauci delusa Sacerdotis Catholici sollicitudine inter Mahometanæ Sectæ contestationes obibant, atque infirmi eluctato morbi periculo fidem Catholicam, quam Inquisitionis metu profitebantur, palam ejurabant: alii ob detectam ejusmodi perfidiam ad

capitis

Sæc. XVII.  
A. C. 1610.

Sæc. XVII. capitum supplicium damnati, Sacrisque  
 A. C. 1610. Ecclesiæ Sacramentis præmuniti, quam-  
 primum in suorum popularium conspe-  
 ctum venerant, elata voce se veros Ma-  
 hometis Sectatores esse proclamabant,  
 non sine ingenti Sacerdotum adstantium  
 confusione, & Catholicorum mœrore;  
 Non paucos etiam ex Catholicis aut do-  
 lose circumveniebant, aut itinerantes  
 deprædabantur, vel omnino in fidei,  
 nationisque odium trucidabant. Inve-  
 terata tot malorum corruptio omne sa-  
 nationis remedium eludebat, quocirca  
 tam Ecclesiastici quam profani Magist-  
 ratus jamjam Philippo II. Regi propo-  
 nebant, putridis, ac Reipublicæ tan-  
 toperè nocivis membris tandem præse-  
 candis ferro profundius penetraturo o-  
 pus esse. Ast tum proprii commodi spes  
 magis quam boni publici, fideique uti-  
 litas prævaluisse videbatur, quamvis  
 jam tunc Sanctus Ludovicus Bertran-  
 dus de Moriscom, qui in Valentia  
 regno degebant, perfidia Regem sæ-  
 pius hortatus, suam quoque hac de re  
 sententiam, transmissa ad Ducem de Na-  
 jera Proregem epistola, vehementi ca-  
 lamo exposuisset. Tandem vero re-  
 gnante Philippo III. Joannes de Ribera  
 Valentinus Archiepiscopus necnon To-  
 letanus Cardinalis Lermæum Ducem  
 suarum rationum pondere eo inclina-  
 bant,

bant, ut hic rem apud Regem fortiter Sæc. XVII.  
urgere decerneret. A. C. 1610.

§. LXXXIX.

*De Maurorum ejectione in Regis Senatu deliberatum.*

Interim ipsemet Valentinus Archiepi- *Mercur.*  
scopus non modo Philippum Regem *Gallobelg.*  
iterato de Moriscorum, uti vocabantur, *lib. 33.*  
ejectione admonebat, sed etiam misso *Hist. mem.*  
Romam Francisco de Quesada Paulum V. *da Aless.*  
Papam desuper consultabat, a quo *Ziliolo l. 10.*  
etiam in suo firmabatur proposito. Hæc  
edoctus Rex convocatis, qui ei a secre-  
tis erant, Viris integerrimis, necnon  
accitis Theologorum longe celeberrimis  
duo hæc capita maturæ deliberationi  
subjicienda eis commisit, & quidem  
primo, an Moriscorum ejectio Reipu-  
blicæ intersit II. utrum id salva con-  
scientia fieri queat? Diversi in diversas  
abiere sententias, Politicis funesta exin  
damna, ingensque ærarii Regii detri-  
mentum prælagientibus, Ecclesiasticis  
vero Religionis dispendium; imminens  
Regni æternæque salutis periculum,  
necnon læsas conscientiae leges exagge-  
rantibus. His rationum momentis  
juxta affectuum varietatem in utram-  
que partem diu ventilatis Rex denuo  
Theologis suis tres quæstiones omnino  
deci-